

lia expectantur quotidie, et timeo ne per illum thesaurum paulatim nostros seducant cupidos milites, quemadmodum Julius Cæsar olim fecit, qui regnum Francorum cupiditate invasit, et quomodo Antichristus capturus totum mundum in fine mundi est

acturus. Agite ergo dum tempus habetis, ne Christianorum regnum, et, quod majus est, Domini perdati sepulcrum, et inde non iudicium, sed mercedem habeatis in cælum. Amen.

## PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI

ET ALIORUM EPISCOPORUM

### EPISTOLA AD OCCIDENTALES.

*Significant victoriam a paganis reportatam, petuntque novas adversus eos suppetias.*

(Anno 1097.)

[MARTEN. *Thesaur. Anecd.*, 1, 271, ex ms. S. Ebrulfi.]

Jerosolymitanus patriarcha, et episcopi, tam quam Latini, universaque militia Domini, Occidentali Ecclesiæ consortium cœlestis Jerusalem, et sui laboris præmii portionem.

Quoniam Ecclesiæ incremento gaudere vos non ignoramus, et sollicitos ad audienda, tam adversa quam prospera, credimus, ampliationis prosperitatem sic notificamus. Innotescat igitur charitati vestræ Deum in xi principalibus civitatibus, et in ducentis castris suæ Ecclesiæ triumphasse, tam in Romania quam in Syria, et nos adhuc habere de loriceis præter vulgus centum millia, amissis tamen multis in primis præliis; sed quid hæc? quid unus in mille? Ubi nos habemus comitem, hostes xi reges; ubi nos turmam, hostes legionem; ubi nos militem, ipsi ducem; ubi peditem, ipsi quoque comitem; ubi nos castrum, ipsi regnum. Nos autem, non confisi multitudine, nec viribus, nec præsumptione aliqua, sed clypeo Christi, et justitia protecti, Georgio et Theodoro, et Demetrio, et beato Basilio, militibus Christi vere nos comitantibus, hostium cuneos securi penetravimus et penetramus, et in quinque generibus bellis campestribus, Deo vincente, vicimus. Sed quid plura? Ex parte Dei et nostra, patriarcha et episcopi, omnisque ordo Domini præcipiendo ora-

mus, materque nostra spiritualis clamat: Venite, filii mei dilectissimi, venite ad me; suscipite coronam ab insurgentibus in me idololatriæ filiis, ab initio mundi vobis prædestinatam. Venite ergo, oramus, militatum in militia Domini, ad eundem locum in quo Dominus militavit, in quo Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Nunquid non Deus innocens pro vobis mortuus est? Moriamur ergo et nos, non pro eo, sed pro nobis, ut moriendo mundo, vivamus Deo. Tanquam non oportet nos mori, nec multum pugnare. Quod enim fuit gravius sustinimus, verum castra civitatesque retinendæ a nobis multum imminuerunt exercitum. Venite ergo, festinate præmio remunerandi. Ecce nostri sanguinis effusione undique viæ; nihil vobiscum afferatis, nisi quæ pertinent usque ad nos. Viri tantum veniant, feminæ adhuc dimittantur. De domo in qua duo sunt, unus veniat expeditior ad bellum, et maxime qui vota fecerunt; nisi veniant, et vota persolvant, excommunicamus, et a communionem eos Ecclesiæ removemus. Patriarcha, et apostolicus, et episcopi, et vos idem facite, quod nec apud vos sepulturam habeant, nisi certam remanendi causam habeant. Valet.

## ANSELMUS DE RIBODIMONTE

### EPISTOLA

AD MANASSEM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM

*De expeditione Hierosolymitana.*

### MONITUM.

(*Histoire littéraire de la France*, VIII, 496).

Anselme, comte de Ribemont et seigneur de plusieurs autres terres, déjà connu par ses pieuses libéralités envers les églises, et par sa valeur extraordinaire à la guerre sainte, mérite encore de l'être entre les écri-